

Acti Concord
torum Picti
de Antiqui
micis
aria

Nf. 96.



Programma

an 22

IN FVNERE

Honestissima & ornatissima femina

CATHARINÆ

ERNESTIÆ,

Viri ampl^{mi} & consult^{mi}

JOHANNIS HEIER-

RINGII,

HELMAESTADIENSIS reip. Syndici conju-
gis quondam dilectissimæ,

Quæ anno cl^o l^o c XXXIX, die XXII.

*Decembris piè placideque in Domino
obdormivit,*

IN ACADEMIA IVLIA

P. P.




HELMAESTADI,

Ex officina typographica academia,

Anno cl^o l^o c XXXIX.



PRORECTOR ACADEMIAE
IULIAE
IOHANNES LOTICHIUS
I. V. D. ET PROF.
CIVIBVS ACADEMICIS
S. D.



IN QUOTIDIE considerarent homines, & accurate expendere, quanta sit caducæ huius vitæ incertitudo & breuitas, fieri vix posset, ut siue voluptates, siue opes & dignitates, quas aliquando promittit, aliquando impertit, vel anxie expeterent, vel magni æstimarent: minimè autem omnium, ut præ illis vera & in æternum duratura bona negligere. Si verò adderent, quanta sit humanæ prosperitatis, si quando qualiscumque obtingat, inconstantia, quoties & qualibus subinde

inde contaminetur & interpoletur adver-
sitatibus & ærumnis, non modò contem-
tus obreperet, sed etiam fastidium. Dies
humani, quantumvis longi videantur &
fortunati, reapse nihilomin⁹ breves sunt,
& laborum ac molestiarum pleni. Tales
quum esse sciret, quin & experiretur ho-
norata & pia matrona CATHARINA ERNE-
STIA, cui hodiè justa fient, ad meliorem
vitam, cujus felicitas nec fucata erit, nec
calamitatibus interrumpetur, nec um-
quam finietur, dudum anhelavit. Nata e-
rat sub finem superioris seculi, anno vide-
licet clō Iō XCVII, die Aprilis vigesimo
secundo; patre quidem hodie hujus urbis
consule primario, viro amplissimo & pru-
dentissimo HENRICO ERNESTIO, matre
verò honestissimâ & lectissimâ fœminâ
VVALPVRGE GERTNERIA. Annus autem,
quo nata est, sævâ peste, quæ & urbem
hanc graviter afflixit, & academiam dissi-
pavit, funestus fuit: ut vix lucem prius ad-
spiceret, quàm pericula & miserias, qui-
bus obnoxia est vita nostra, incurreret.

Quin quum in lucem unà cum sororculâ
gemellâ edita esset, hac præmaturè è vivis
abreptâ, sola superfuit. Educata autem
piè & honestè, artesq; puellares & curam
regendæ familiæ edocta, anno ætatis suæ
vigesimo, seculi verò hujus decimo sexto
nuptū data est viro prudenti & industrio
HILDEBRANDO HILDEBRANDIO, Kochste-
densis oppiduli tunc consuli, ipso die, qui
sancto Iohanni Servatoris præcursori di-
catus est, quum ætas esset inusitatâ siccitate
& pecorum clade notabilis. Conju-
gium quidem felix & fœcundum, sed mi-
nimè diuturnum, quippe quum nondum
septimum annū expleisset, immaturâ ma-
riti morte abruptum: ipsa vidua facta &
in luctum ingentem coniecta posthumū
peperit, quæ pridem vivo marito duos fi-
lios & unam filiam enixa fuerat. Quos ta-
men omnes parenti sui immaturum obi-
tum immaturiore fato subsequutos, præ-
ter unum adhuc superstitem filium, sepeli-
vit. Interea bellum in his Saxonix oris cru-
entum, crudele & calamitosum exarde-
scere

scere, quod haectenus neq; diro urbium & populorum excidio, neq; largo sanguinis diluvio restingui potuit: illa vidua & praesidio, quod sexus iste potissimum habet, destituta, injurijsque praecipue exposita, in patriam & ad patrem sese recipere: cui conjugem suam interim orbatam opportunè praestitit, & officia pietatis sedulo & cumulatè praestitit. Accidit ut eodem tempore sedibus suis pulsus & uxore viduatus in hac urbe degeret ornatissimus vir IOHANNES HEIERRINGIVS, reipub. hodie Syndicus. Quum non modò fortuna, sed etiam mores utriusque conuenirent, & par utrobique probitas & mansuetudo appareret, animi quoque conjuncti sunt, contractumque matrimonium, nuptiaeque celebratae anno MDCCCXXXII, postridie sanctissimi archangeli Michaëlis, armis undique circumstrepentibus, & plerisque tum academicis tum civibus alibi receptum quarentibus, atque adeo urbe ob metum incolis paene vacua. Ante dies enim quinque pugnatum fuerat ad V Volferbitum: ipsoque nuptia-


rum die dedebatur Hildeshæmum. Nempe ita ferè temperantur res mortalium, ut nullum gaudium sit merum, & quæ læta sunt aut videntur, tristibus abundè diluantur. Porrò hinc Halberstadium, & Halberstadio Magdeburgum vocatum maritum fida & officiosa uxor comitata, ibi haut levia incommoda, hîc etiam gravis & diuturnæ obsidionis pericula & molestias sustinuit: donec tandem ante biennium nondum integrum, in hanc suam patriam, cum marito ad munus Syndici huc revocato, redijt. Cui quum filium peperisset & filiam, & illum tamen & istam infantes amisit, aut, ut rectiùs loquamur, in cœlum præmisit, hoc ipso felices, quòd vitam miseram, priusquam ejus mala exactiùs nosse possent, cum beatâ commutaverint. Ipsa sanè in adversitatibus spe meliorum fiduciaque in Deum subnixâ cunctas pietate & patientiâ superavit; plerasque etiam maritus comitate suâ & officijs, qualia conjugia conjugum præstita efficacax solatium esse consueverunt, lenijt & mitiga-

mitigavit. Maxima enim fuit, quòd po-
stremis hisce annis pulmonum vitio, respi-
randi difficultate, destillationib⁹ & phti-
si deniq; afflicta est. Quo in morbo, longo
& indies ingravescente nulla medicina
gratior mariti *συμπαθεία*, blandoq; affatu
& affectu. Quum autem malum per aë-
ris *ἀνωμαλίαν* exacerbatum die abhinc o-
ctavo acriorem impressionem faceret, at-
tenuata jam pridem & viribus defecta diu
resistere non potuit. Succubuit igitur, nu-
diusq; sextus post sextam vespertinam ani-
mâ suâ Deo redditâ ad meliorẽ vitam læta
lubensq; transivit. Quam ei, qui bene fa-
ctum velit, nemo invidabit, sed meritò
gratulabitur. Nos omnes vel ab uno e-
xemplo pressius considerato qualis vita
nostra humana sit, discamus. Cum hoc si
suam ipsius quisque contendat, præsertim
qui aliquos in eâ progressus fecerit, fortè
non multò feliciorem deprehendet: num-
quam certè talem, in quâ non tristia mi-
sceantur lætis, & dulcia amarum largè dilu-
antur. Absit igitur, ut nobis vitreæ alicuj⁹
fortu-

fortunæ splendor imponat, ut fucus fal-
lax capiat, ut illecebræ infidæ irretiant: ad
alteram potiùs, imò ad solam illam, utpo-
te quæ sola sit vita germanæ vitæ titulo di-
gna, anhelemus, omniq; nisu contenda-
mus. Rectè quoq; faciemus, & has ipsas
cogitationes haut parum firmabimus, si
invitati exsequias alijs haut gravatim ea-
mus, & dum alienum fatum ante oculos
habemus, proprij recordemur. Quod offi-
cium quum à vobis, ornatissimi juvenes,
hodie post horam duodecimam defunctæ
uxori suæ præstari petat & expectet mœ-
stus viduus, vestræ erit humanitatis, quâ
vos par est præ vulgo eminere, id ei non
denegare. Quod sanè ille solatij & benefi-
cij loco habebit, & ut vicissim quavis oc-
cassione erga vos vestrumq; ordinem be-
nevolum gratumque animum ostendat,
operam dabit. Valete. P. P. in Academiâ

Iuliâ, XXVII Decembr.

clō lo c XXXIX.



Fe 765



ULB Halle
002 413 515 3

A standard 1D barcode is located on the library label, positioned below the identification number.

TA-02


VD 77

42



Georgii
Sua
Sua
latib.
valer





an 22

Programma
IN FVNERE
Honestissima & ornatissima femina
CATHARINÆ
ERNESTIÆ,
Viri ampl^{mi} & consult^{mi}
JOHANNIS HEIER-
RINGII,
HELMAESTADIENSIS reip. Syndici conju-
gis quondam dilectissimæ,
Quæ anno clō lō c XXXIX, die XXII.
Decembris piē placideque in Domino
obdormivit,
IN ACADEMIA IVLIA
P. P.



HELMAESTADI,
Ex officina typographica academia,
Anno clō lō c XXXIX.